

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Simonius

**De Vita Et Morte Illustrißimi & Celsißimi Principis ac Domini, Domini Uldarici,  
Ducis Megapolitani, Principis vetustae gentis Henetae, Administratoris & Comitis  
Sverinensis, Rostochii & Stargardii Domini, Domini clementissimi, pie & placide  
defuncti Gustrovii, anni 1603, die Martii 14. Parentatio**

Rostochii: Typis Myliandrinis, 1603

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823377490>

Druck    Freier  Zugang





2015 A 3 <16. Jh. >





DE VITA ET MORTE

Illystrissimi & Celsissimi Principis ac Domini, Domini

## ULDARICI,

Ducis Megapolitani, Principis vetustæ  
gentis Henetæ, Administratoris & Comitis Sverinensis,  
Rostochij & Stargardij Domini, Domini clementissimi,  
piè & placide defuncti Gustrovij, anni 1603,  
die Martij 14.

## PARENTATIO,

Oratione expressa, & sequente 28. Aprilis,

Publicè in Academia Rostochiensi, in solemini Promotionis  
actu 5. cum

Reverendissimi & Illustrissimi Principis ac Do-  
mini, Domini

## VLDARICI,

Heredis Norvegiæ, Propræsulis Sverinensis, Ducis  
Schlesvicen. Holsatiax, Stormariæ, & Dithmarsix; comitis in Al-  
tenburg & Delmenhorst, inclutæ Acad. Rostochiensis Cancel-  
larij magnificentissimi, & clementissimi, jussu & auctoritate,  
10. viris honestis & doctis licentiam & potestatem per-  
mitteret accipiendo insignia & supremos in facul-  
tate Philosophica honores:

Recitata à

IO ANNE SIMONIO Rber. Professore P.



Rostochij Typis Myliandrinis Anno M.D.CIII.

.14.

V. 16.

V. D. M.

VERBVM DEI MANET.



PRO CHRISTO ET PATRIA.



Serenissimæ ac Potentissimæ Principi ac Dominae, Dominae

## S O P H I A E,

Dania, Norvegia, Vandalorum & Gotorum Regina, Principi  
Megapolitanæ, &c. Duci Sclesvicensi, Holstiae, Stormaria &  
Diermarsie: comiti in Altenburg & Delmenhorst, viduæ:  
Domina mea clementissimæ.

 Erenissima & Potentissima Regina, Domina clementissima: pervetus est & ab antiquis temporibus usq; usurpatum institutum, ijs, qui generis humani commodo præ cæteris servierunt, ad omnem posteritatem duratura monumenta erigere & statuere. Et quidem existimatum est à nonnullis initium scribendi orationes funebres à Iudeis cepisse, & hinc ad Græcos consuetudinem illam, ab illis postea ad Romanos, & tandem ad nostros homines descendisse & profluxisse. Nam & David Rex atque vates Sauli atq; Ionathani parentavit, ut est in annalibus antiquis: & Pericles funera Ducum, qui pro patria fortiter pugnando nobili morte occubuerant, oratione exornavit: & Valerius Publicola de laudibus Iunij Bruti panegyrin funebrem cum summa omnium approbatione habuit: & Cyrillus auctor est, martyrum laudes peculiari solemnitate fuisse celebratas: & hoc nostro seculo non infrequens est, heroum, qui multis beneficijs Rempub. cumularunt, memoriam consecrare. Constat autem, S.R.V.M. patrem, celsissimum ac illustrissimum Principem ac Dominum, Dn. V L D A R I C U M, Ducem Megapolitanum, Principem vetustæ gentis Henetæ, propræsulem & comitem Sverinensem, Rostochij & Stargardij Dominum, verè faisse oculum Ecclesiæ, patrem patriæ, defensorem Religionis, Romani imperij columnam; cuius auctoritate & felicitate enses hostium à servicibus Reip. særissime sunt depulsi: cuius prudentia iudicia constituta, fides revocata, libidines exterminatae: cuius pietate & vigilijs doctrina Pontificia abolita, Calvinistarum

Somnia repressa & labefactata: cuius magniscentia hæc Academia, universæque huius ditionis scholæ & Ecclesiæ ornatae, auctæ, amplificatae: qui denique in agnita veritate doctrinæ Christianæ cælestis ad nos propagatae ad extremum usque spiritum vitæ constantissimè perseveravit. Cuius divi Principis mors etiæ tum ceteros tum S. R. V. M. animum, pietatis atq; amoris erga divum Patrem plenissimum, in primis percellit: tamen non est dubium, quin S. R. V. M. quæ est ipsius excellens pietas, in Dei voluntate acquiescat, & profectionem illustrissimi Domini patris amore prosequatur, redditum ad ipsum spe æternæ vitæ soletur, absentem memoria colat, omne desiderium recolendis & repetendis ipsius præclarè factis leniat. Res enim à Divo hoc principe gestæ memorabiles & pœnè cælestes sunt; & omni humano laude prope modum majores, & ad levandum dolorem, quantumvis acerbum, incredibilem vim habent. Earum memoria ut & in hac Academia; cuius beatissimus Princeps verè alter parens ita fuit, ut ipse in novissimo die, in conspectu Filij Dei ac Beatorum, voces & gratulationes Ecclesiastarum Scholarum & rerum publicarū, ad quas ex hac Academia rectores: & doctores translati sunt, auditurus sit; extaret: volui virtutes ipsius admirandas, laudesque eximias, ex magno numero delibatas, publica parentatione celebrare; eamque S. R. V. M. virtute excellenti & prudentia insigni Principi, subiectissimè inscribere, quod officium, licet triste, tamen ab animo bono profectum, ut S. V. R. M. serenissimo vultu accipiat, & contra malevolos, quæ est S. R. V. M. magni animi prudentia, defendat, qua possum subjectione humiliâ submissæ rogo. Deus opt. max. ex quo, tanquam uberrimo fonte, omnis vera doloris levatio promanat. S. V. R. M. luctum clementer mitiget, & S. V. R. M. omnibus ornamentis heroicis dotatam, in Nestoreos annos quam diutissimè florentem conserveret. Rostochio 29. Apr. 603.

S. R. M. V.

humilimus servitor.

IOANNES SIMONIUS



Vam gravis quamq; justus, cum roti Reipub. tum  
nobis, qui studia literarum colimus, morte Illustriſſi-  
mi & Celsiſimi Principis ac Domini, Domini Vl-  
darici, Duxis Megapolitani, Principis vetusſae gen-  
tis Henetie, Comitiis & Administratoris Suerinenſis,  
Rostochij & Stargardij Domini, inuictus fit do-  
lor, non ſolum, Magnificentissime atq; Illuſtrissime Princeps & Domi-  
ne, Domine clementiſime, concio Magnifica, Clarissima atq; Orna-  
tiſſima, nos omnes intelligimus, ſed hi ipſi parietes propemodum ſen-  
tire mihi videntur. Amiſimus enim Eccleſiae nutritium, religionis dex-  
teram, iuſtitiae gladium, Muſarum præſidium, omnium heroicarum vir-  
tutum promptuarium. Cum quo eſi præclarè actum eſt, quem in eas  
oras abijſſe ſcimus, ubi in conſpectu ſacrosanctæ & individuæ Trinitatis  
ſabbathum ex ſabbatho celebrauit: nobis tamen hic caſus præcipue luctuo-  
ſus accidit, qui patre patriæ & patrono noſtro orbati ſumus: meritoq; hoc  
tempore, ubi ad hunc publicum actum convenimus, in hoc communis  
rotius ferè orbis Christiani luctu, non tam dolorem noſtrum, adeò re-  
centem, voce noſtra lugubri teſtatum facimus, quām recordatione vir-  
tutum & benefiſiorum, que Deus per hunc Principem in nos & temp.  
cumulatè contulit, excitati, conſentientibus votis filium Dei, ad dexte-  
ram Patris ſedentem, rogamus, ut quem in Serenifimorum celiſiſimo-  
rumq; beatissimi huic Principis Gentilium, cum omnium, tum in pri-  
mis potentiſſimæ & omnibus virtutibus heroicæ Principi conveſtienti-  
bus exornata Reginæ SOPHIE filiæ; & conjugis illuſtrissimæ AN-  
NÆ, ex celiſiſimorum Pomerania Ducum familia oriundæ, pietate  
& virtute excellentis heroinæ, peccoribus mors patris & mariti  
luctum, eumq; incredibilem & infandum excitavit, Deus ipſe  
ſuo ſolatijs ſpiritu clementiſimè mitiget & leniat; quemq; in  
ſijsdem diui Principis locum ſuccenturiavit, Reverendissimum, Il-  
luſtrissimum atq; Celiſiſimum Principem ac Dominum, Dominum  
CAROLVM, Administratorem Episcopatus Razeburgensis, Du-

cem Megapolitanum &c. spiritu suo sapientiae & fortitudinis collusstret, ut quemadmodum in Administrationem, ita quoq; in Fratris, omnium virtutum, pietatis, prudentiae, Iustitiae, auctoritaris & felicitatis insignibus notata vestigia succedat, & illius, cuius jam pridem omnibus bonis signum praclare extulit, magnanimitatis & amoris in patriam spem quam diutissime sustineat atq; tueatur. De qua re constitui hoc die, ubi mihi persona dicendi necessitatem imponit, quedam afferre. Dicam enim de laudibus beatissimi Principis Vdalrici: & quæ sparsa, quæq; diversis temporibus de hoc Principe præstantissimo vel vidiis ipsi vel audivisti, ea collecta vobis proponam: non ut omnia divi hujus Principis præclara facta oratione comprehendam: esset enim hoc immensum propeq; infinitum: sed ut ex multis paucatanum delibem.

Nec tamen solemnia illa generis, nobilitatis, ornamentorum corporis & fortune, quæ cum multis alijs clarissimis Principibus communia habuit, encomia buc conducam, sed illa solum, quæ beatissimi nostri Principis quasi propria fuerunt, enarrabo. Quanquam si genus, si pulcritudinem & robur corporis, si honorem, si divitias, si potentiam, si id genus cætera afficias, eaq; cum his, in quibus ipsa fuerunt, conferas, liquido reperies, effulisse pleriq; in hoc Principe ita, ut fatendum nobis sit, quæ in alijs singula, hæc in uno hoc nostro Principe eximia conjuncta fuisse omnia: credendumq;, quod si ex antiquis illis omnium sermone atq; prædicatione celebratis, qui propè divinos horas consecuti sunt, heroiibus alicui in vitam redditus datus, atq; ei optio divinitus concessa foret, quos sibi ex infinito hominum omnium, in unum locum & sub unum aspectum conductorum, numero deligeret, eos illi parentes futuros, eorumq; tum corporis decus, tum gloriam ipsum consecuturum; non alium patrem sibi sumeret, quam ALBERTVM Ducem Megapolitanum, neq; aliam matrem, quam ANNAM, IOACHIMI, I. Electoris Brandenburgi filiam, laudatissimos beatissimi nostri Principis parentes, natos ex clarissimis Cæsarum, Regum, Electorum, Ducum, Megapolitanorum, Brandenburgi, Saxonie Electoralis, Saxonie veteris, Bavariae, Pomeraniae, Poloniae, Masoviae, Badenfium, Austriae, Danieq; familijs, nobilitate Gracchis, Aemiliis, Fabijs Cornelijis longè superioribus: idemq; nec ullam aliam excelsi & Heroni corporis augustam majestatem, neq; potentiam & gloriam sibi cuperet

cuperet aliam , quam qualis fuit beatissimi nostri Principis & Patris Patriæ. Est enim permagnum , benè natum esse , & ad præclarè agendum quasi iter aut fundatum : & ut sint Nerones , qui suis sceleribus avitam majorum gloriam deturpent & coinquinent ; generis tamen splendorem & dignitatem , tanquam singulare & illustre hominis ornamentum , cum in alijs , tum in hoc beatissimo nostro Principe merito agnoscimus .

Sed longè majori prædicatione camulanda ducimus ea , quæ inferiora beatissimi hujus Principis fuerunt , Prudentiam dico , justitiam , fortitudinem , temperantiam , magnanimitatem , liberalitatem , mansuetudinem . Etenim , sive Oeconomicam sive Politicam Principis nostri gubernationem ; & hanc aut rogatam aut armatam penitus introficias : Deum immortalem , quæm se undiq; illustria prudentis & considerat; animi in ea offerunt testimonia atq; monumenta ! Neq; enim existimet quisquam alienum esse à Principis dignitate , ut consulat ijs bonis & rebus , quæ ad ipsius privatam spectant utilitatem . Est enim hoc pervetus , Israëlitarum , Romanorum , Lacedæmoniorum , Ægyptiorum omniumq; gentium unanimi consensu introductum , institutum , ut separata sint à privatorum bonis quædam bona , quæ in Principatus inauguratione Princeps accipit , quæ bona dominialia & principati anneixa & patrimonium dicuntur : itemq; ut propria quædam habeat bona , quod patrimonium privatum vel domus . utrumq; autem , titulo dignitatis , Principis appellatur : de quo utroq; in jure Codicis legimus , in l. benè à Zenone , de quadriennij præscriptione ; & in l. unica , de quæstoribus , & t. de grege dominico . Virtus q; autem patrimonij commendata est Principi procuratio : & ut intelligat , quantum habeat in redditibus , ne extra oleas , quod dicitur , currat : & ut caveat sibi ab harpijs , ne ab his decipiatur . qua in re ubi peccatur , videmus ex cogitari nova vestigialium nomina , expilari subditorum bona , spoliare provincias , exhaustiri sanguinem civium , principes ipsos in labyrinthos difficultatum propemodum inexplicabiles coniici . Nolo hic longior esse , Auditores : res ipsa loquitur , & quæm necessaria sit Magistratus hac virtus : & quæm singularis ea fuerit in beatissimo nostro Principe .

Politice autem prudentiae magnitudinem in eo quis non jure miratur ? Non imaginarium vobis Regem aut Duxem , aut ex eorum etiam nu-

iam numero, quales apud Vtopienses regnare dicuntur, sed vobis VL-  
DARICVM DuceM Megapolitanum propono, cuius fidem & pru-  
dentiam in administranda Republica omnia templa, omnes schola, o-  
mnes curiae, omnia praetoria, ipsi deniq; huius ditienis agri & sylva  
loquuntur & protestantur. Freat licet impetas & ringatur cyclo-  
picus Centaurorum furor: ego illud in hoc Illustrissimo & clarissimo  
confessu afferere non reformido: cum laudatissimis quibusq; Principi-  
bus iuv recentioribus tunc veteribus conferri hunc nostrum Principens  
posse: cui pietas pro oculo, prudentia pro manufuit: qui togatam ad-  
ministrationem ad gloriam Dei & subditorum utilitatem; arma ad cu-  
randos reipub. morbos & ad pacem semper contulet. Nam simul atq;  
in Episcopam Sverinensem, quod factum est anno C. 1550, ducis HEN-  
RICI senioris commendatione, patrueli HENRICO juniori, pietate  
& in literatos munificentia excellentissimo Principi; & tricennio  
post in eum, quem decedens reliquit, principatum succedit: tria ma-  
xima, & heroico atq; Christiano Principe dignissima, & in omnem  
posteritatem universae reipub. utilissima opera simul ferè suscepit, Ec-  
clesiarum reformationem, judiciorum constitutionem, & Academiæ  
hujus restorationem. Vera enim imperij magnitudo sita est non in lu-  
cru, non in injurijs, non in opulentia iniquaq; dominatione, sed in  
pietatis, iustitiae, & doctrinæ gloria atq; cultu; ut furere & diabo-  
lico astro perciti mibi videantur qui Principem. & in nocturno, ho-  
stem Gratiarum & Musarum esse, quiq; pulsis doctis viris & sacerdo-  
tibus iustitiae, illud Caligule Eccum in repub. rabiosè audiri volunt:  
cum & ratio savis distinet, & jus omnibus prescribat, & necessitas sa-  
lusq; orbis totius flagiter, ut Magistratus sit custos ac patronus pietatis,  
ecclesiae, religionis, scholarum, iustitiae, legum, artium & disciplina-  
rum honestarum.

Sequutus erat hic Ducatus, quem ALBERTVS, nostri Prin-  
cipis Pater, imperio tenebat, maximam partem adhuc pontificiam  
doctrinam: cuius eti tanta erat ea tempestate in animis hominum &  
tam altè infixa vis, ut ne ijs quidem Praesulibus, quibus Antæcos &  
Antipodes statuere heresis erat haereseon omnium maximè detestanda,  
refragari quisquam auderet: inenarrabili tamen Dei misericordia  
veritas renascentis lucis divina assulxit beatissimo huic nostro Principi  
& ipsius fratri divo IOANNI ALBERTO, ut incoatum primò ab  
HEN-

HENRICO seniore, & continuorum deinde à IOANNE ALBERTO per purgandi Pontificij stabuli Herculeum illud, quo nihil vel Deo acceptius, vel generi humano fructuosius & salutarius, opus Fratres tandem Illustrissimi conjunctis animis atq; viribus persicerent. Pontificiorum enim imposturis planè explosis, & Monachorum somnijs ad furcas relegatis, certam constituerunt doctrinæ rituum & cotius gubernationis Ecclesiasticæ formam, non eam ex turbulentis rationis humana lacunis deductam, sed ex limpidissimis verbi divini fontibus haustam atq; derivaram: qua longè latetq; per hanc directionem pro seminata, aurora Evangelij hominibus nostris ita illuxit, ut sole hoc & nos gaudemus, & tota grata posteritas, Deo propitio, gavisura sit, nulliusq; magistratus Megapolitani tantum in Rempub. extet beneficium, quod vel dignitate vel magnitudine cum hoc conferri posse. Quod quidem beatissimi hujus nostri Principis factum, tanto præclarius fuit, tantoq; augustius, quanto turpores fuerunt illi, qui vel libidine involandis in fortunas Ecclesiæ, vel novitatis studio, vel regionis porius quam religionis amore, initio quidem Evangelium sunt amplexi, sed paullo post, cùm alijs, tūm Interemistici temporis tempestatum procellis sventibus, contra veteris Germaniae laudem & majorum gravitatem stationem suam turpiter deseruerunt. Nihil horum in beatissimo nostro Principe. Is enim & certa quadam mentis divinitus illustratæ inductione veram de Iesu Christo doctrinam, qua sola oppressis peccato aditus ad cœlum patesit, ministerio Megalandri Lutheri ab iniquis namentis Babylonicas repurgatam, amplexus est, & ingenti atq; ex celso animo eandem inter inferorum furores & fulmina usq; ad extremum vitæ halitum fortiter & Christianè defendit: atq; hanc suam voluntatem non solum subscriptione repetitæ Augustanæ, quam formulam Concordia vocamus, sed editione etiam sue confessionis publica, & sub ipsum articulum mortis facta ordinationis Ecclesiasticæ reperita promulgatione, contestatus est.

Haud minori cura legibus conservandis operam suam navavit noster Princeps. Rectè enim Cato leges Reipub. nervos: Pindarus reginam omnium: Martianus Iurisconsultus iustorum & injustorum regulam: Isocrates cancellos: Ecclesiastes sēpem nominaverunt. In primis autem ad Imperij Romano Germanici jura & ad legum civilium præscriptum totam suam gubernationem in causis decidendis conformari vo-

uit. Sunt enim leges civiles ad harmoniam ejus, quod semper aequum & bonum est, præ reliquis longè accommodatores: eademq; à discrimine honestorum & turpium, in ipsa natura præscripto, omnium abeunt minimè. Ne autem legibus severa deesset executio, cum aliatum Ecclesiasticum & provinciale judicia collapsa jam, cum dico Fratre restauravit: quorum alteri inspectio discipline Ecclesiastica & conjugiorum commendata esset; in altero, tanquam in instruendo Areopago, non solum subditis, sed ipsis etiam Principibus jus diceretur. O beneficium Principis excellens! o rarum virtutis exemplum, & huic terra ante illum diem fore inauditum! Ferociat Nero in scelerate rumpendis legum repagulis: figat alius leges precio atq; refigat precio: Carracalla se dominum legum impudenter jactaret: hæc, hæc est vox regnantis majestate digna, legibus alligatum se Principem profiteri, suamq; auctoritatem juris auctoritate metiri. Nam qui legem jubet præesse, Deum & legem jubet præesse: qui autem hominem, is bestiam judicys præficit. tanta est libidinis tamq; effrenata feritas, ut optimos etiam quosq; Principes in transversum agere possit!

Sed quia intelligebat beatissimus Princeps, leges & doctrinam indissolubili quodam inter se junctas esse federe, ut & simul florent, & simul intercidant: itaq; ad recolligendas hujus Academia ex superiorum annorum naufragijs reliquias tabulas animum adjecit. Est enim hæc Academia nostra Anno 1419, à 10 ANNE, beatissimi nostri Principis abavo, & ALBERTO, Ioannis patruole, ALBERTI Regis Svecie filio, & amplissimo Senatu hujus urbis primū condita. sed octavo statim à nativitate sua quasi anno, cum literis vicini Regis excita cum in alijs tūm in hac urbe plebs adversus senatum, ejectis consulibus, tumultuaretur; & indignitate rei exacerbati Cesar & Pontifex, ille proscriptionis fulmen, hic excommunicationis plumbum in hanc civitatem evibrasset, jussa est Academia à concilio Balsiliensi, cuius diploma autographum adhuc extat, hinc fugere atq; migrare. quæ dicto audiens Gryphisvaldium concepit, quæ in urbe cum quinq; annos besisset, & pars Professorum desiderio veteris sedis vehementer afficerentur factum est, ut; qui reditam suaderent, illi non sine aliqua difficultate hic reverterentur, relictis uno atq; altero ex collegiatis, quos vocabant, Gryphisvaldij: quorum postea monitis & suasu excitati Illustrissimi Principes Pomeraniae Acad-

miam.

riam Gryphius aldicam, impetratis ei privilegijs fundarunt. Fuit ag-  
em proximus à reditu quadraginta annis mediocris Academie status,  
sed cum urbs, ob trucidatum ad media luna regionem, ubi cippus est,  
Thomam Rhoden, qui Ducis Magno, beatissimo nostri Principis avo, à  
cancellis fuit, virum insignem, in grave discrimen iterum adduceretur:  
fæde aspera fuit Academæ facies: ex qua tamen calamitate cum De-  
beneficio eluctaretur, virtute Erici Ducis Megapolitani, patrui nostri  
Principis, Academæ tum Rectoris, nonnihil recreata est; donec HEN-  
R I C V S & I O A N N E S A L B E R T V S omnes suas cogitationes,  
omnem curam omnēq; studium ad restaurandam Academiam converte-  
rent, & deficiente H E N R I C O , beatissimus noster Princeps cum  
Fratre I O A N N E A L B E R T O , Principe incomparabili, opus  
hoc Heroicum & periculose plenum aleæ, felicissimis tandem auspicijs,  
& dote nova eaq; ampla suis professoribus constituta, & diversis col-  
legijs in unum concilij corpus coactis, & concordia inter ipsos & sena-  
tum & Academiam bonis & certis conditionibus solemniter inita & pro-  
mulgata, divinitus ad finem perducere. O curam Principi viro de-  
coram & optimo Magistratu dignam! & studium posteritati memorabi-  
le & salutare! cum quo genere officiorum profecto nullum militare ge-  
nus, nulla castrensis gloria conferenda, nam bellum semel fortasse pre-  
fuerit, si tamen profuerit, & quidem cum lacrimis & rerum omnium  
wastitate atq; perturbatione miserrima profuerit: hoc autem lauda-  
bile institutum toti provinciæ, cum summa omnium bonorum gratula-  
tione atq; letitia, semper profuerit. Nec vero deseruit beatissimus  
Princeps hunc Academiam suam, sed ipsam verè paterno amore semper  
prosecutus est, atq; de ejus salute, non secus atq; de patrimonio quodam  
dignitatis, regia erga literas adductus & non fucata benevolentia, mis-  
erice sollicitus fuit: cuius rei memoria, cum summa caritate atq; ve-  
neratione usurpata, tamdui duratura es, quamdiu ulli homines sunt  
literarum vel fructu adjuti, vel laude illustrati; cum sceleratissimum  
Juliani, Caligulæ, Bassiani, perditißimorum hostium literarum, no-  
men, una cum flagitiōfissima anima, in Acherontis pice & flammis stagnan-  
sem fluvium miserrime præcipitatum, ante diem Orcus immani guttu-  
re absorbeat.

Togatam adumbravimus beatissimi nostri Principis prudenti-  
ssiam. Videsamus nunc armatam. Nam cum duæ sint pestes, quibus

B 2 Respub.

Respublicæ everti solent, seditio & bellum: alteram quidem semel atq;  
sterum hæc ditio, sed in ipsa tamen quasi segete, huic nostri Principis  
prudentia oppressam; alterum nuncquam sensit, quin illud Dei opt. maximis  
in hanc rem pub. favore, vigilijs optimi Principis, honorum precibus à cer-  
vicibus subditorum sit aversum. Nihil hic dicam de difficultatibus, quo  
beatissimo nostro Principi creabantur ab eo, cum quo erat conjunctissimus,  
cum Episcopœ Sverinensis gubernacula capesseret. Sunt enim  
illa morte auctoris statim dissoluta & discussa. Gravius fuit cum fra-  
tre IOANNE ALBERTO, eximio veræ pietatis Zelo, & li-  
teris exculto principe, ecclesia Dei ac scholaru[m] nutritio, & literato-  
rum omnium patrono munifico, susceptum gubernationis certamen. Nam  
cum HENRICVS dux Megapolitanus, qui, quod pacem tanquam cœ-  
lestis aliquod numen semper veneratus est, pulcherrimum Iov. iugurthino  
cognomen invenit; beatissimi nostri Principi patru[m], diem suum Sve-  
rini obi[er]et, nullo herede masculo relicto, & partem illam Ducatus  
ad fratris Alberti filios IOANNEM ALBERTVM, VLDA-  
RICVM, CAROLVM, & CHRISTOPHORVM mor-  
te sua devolvisset, maximusq; natu filius IOANNES ALBER-  
TVS, illustrissimorum nostrorum Principum avus, ad gubernationem  
Reipub. solus electus fuisset; gravis quæstio inter IOANNEM AL-  
BERTVM & beatissimum nostrum Principem coorta fuit: quod al-  
ter de gubernatione ditionis secum communicanda & familia herciscun-  
da crebro instabat: alter pactum de decennij administratione, que sibi  
soli, mortuo patre, communi omnium fratum aciedente consensu tra-  
dita esset, opponebat. hoc pactum cum VL D A R I C V S ita, ut de  
illa, quam pater Illustrissimus decebens reliquisset, non autem de hac,  
qua morte patru[m] accessisset, ditione accipiendum ostenderet: IOannes  
autem ALBERTUS de præsentibus & futuris interpretaretur, neq; ab  
ea sententia dimoveri se facile posse diceret, & præterea ducentos e-  
quites in præsidij dispositos haberet: ea animi alienati significatio in-  
ter fratres extitit, ut VL D A R I C V S non tantum apud vicinos Prin-  
cipes de Fratre conquereretur, sed ab H E N R I C O etiam Duce Brun-  
svigio, marte & virtute clarissimo Principe, auxilia impetraret, &  
cum exercitu instructus ad fines hujus Ducatus, ubi Beyzenburgum  
est, appropinquaret. Etsi autem gravissimus erat in Principe VL-  
D A R I C Q; dolor, abortiu[m] ex consideratione eatur rerum, quarum

memor-

memoria in generosis & magnis animis faces ad inflammada odia atq;  
bella intestina, & ad maximas infinitasq; calamitates excitandas accen-  
dere solet: tanta tamen tamq; excellens fuit in beatissimo nostro Principe  
virtus, ut prius omnia consilio, quam armis experiunda sibi statueret.  
Cogitabat aleam & profandam plagam reniens Evangelio hac dissensi-  
one fratrum capitali inflictumiri: censebat praestantes excellentes  
virtute heroas, in quorum numero illustrissimum fratrem esse cerio-  
sciebat, comiter tractando placari & emolliiri posse: cogitabat & il-  
lud non decere fratres sic inter se affectos esse, ac si ambae manus, quas  
Deus fabricavit, ut mutuis sibi auxilijs subvenirent, hoc munere ab-  
jecto, convertant se eō, ut inter se, impediant: sed multo magis fra-  
tres a Deo omnium auctore esse factos, ut multo plus sibi inter se  
commodent, quam aut manus aut pedes, aut oculos aut cetera; que  
Deus mortalibus gemina indidit: cum manus, si ea, que longius ulnas  
dissent, colligere debeant, non possint: fratres autem, quantumvis lon-  
go intervallo sint disiuncti, mutua commoda administrare dete-  
rant. Hac, & alia, bellic incommoda, subditorum miserias, pradi-  
orum incendia, urbium diregiones, cognatorum parricidia, cum beatis-  
simus Princeps diu multumq; apud animam suum agitaret, tandem  
Butzovium, quod est ad Varni & Nebule confluentem, ordines reipub.  
hujus evocat: jus suum eis proponit: quanti calamitatum fluctus Patri-  
am inundaturi sine, si exercitum moveat, edocet: que sit mens sua, pa-  
cis quam bellū studiosior, testatur: ut rebus afflictis consulant, hortatur.  
Dignissima autem & omnium seculorum predicatione & memoria fuit  
fides ordinum hujus Ducatus in Rempub. & patrjam. Nam sua inter-  
cessione effecerunt, ut contentio illa, que, non secus atq; serpens Annibalis,  
vastitatem Reip. secum trahere videbatur, placide inter Il-  
lustrissimos fratres summo cum omnium hominum aplausu componere-  
rur. Quid de illa dicam beatissimi nostri Principis insigni virtute, que  
inter amplissimum hujus urbis Senatum & cives tum ex alijs causis, tum  
ex privatis odij consilatam, & unius atq; alterius adventu exacerbata, &  
& eorum, qui frigidam suffundebant, opera exasperatam disceptationem,  
amplissimae nobilitatis & hujus Academia depreciationibus intervenientibus,  
ita tandem passus est dirimi, ut vici viciiores existarent &  
de qua re parcius: cum ejus memoria in multorum adhuc animis alte  
inxia bereas; & videam esse in hoc consensu, qui spectatores ejus tem-

pestatis fuerint; quicq; ejus exitum salutarem gemitibus multis Deo  
commendarint. Sed quantum illud putabimus in beatissimo Principe  
nostro fuisse excellentis & prudentis ingenij donum & bonum, quod re-  
giam viam, que est inter VVifmariam & urbem Lubecensem, ante an-  
nos 4 s. latrocinijs infamem, à Philistis illis & Cacis sua opera purgavit:  
quod iter per prefectoriam Graböensem ad molam Martini prædonibus  
interclusit: deniq; quod hanc ditionem ab incursionibus externis raro  
sua gubernationis tempore, per annos ferme quinquaginta, Dei benefi-  
cio, salvam & tutam conservavit? Est hic Ducatus satis amplius, qui  
ab occidente Travum habet, clarissima urbe Lubeca, quam lambit, no-  
bilitatum fluvium: & inde versus hiemalem occasionem, juxta metas agri  
Lubecensis, & terminos veteris Saxonie, ad Albim usq; protenditur: fini-  
busq; Ducum Luneburgensem & Brunsvicensium longissimo traktu ex-  
clusis, versus vieridiem in Marchiam Brandenburgensem prominet: mox  
ad orientem recurrens eo latere satis spatio Pomeraniam terminat: do-  
nec ad Septentriones & mare Balticum reversus, ne littore quidens  
illo in Germania extremo fines suos circumscribitur, sed in ipsum  
quoq; mare, non exiguo spatio, Baniam versus se extendit. Intra  
hos fines iam late patentes regio haec Megapolitana continetur, amoeni-  
tate silvarum grata; frequentia urbium celebris: flavijs Albi, Varno,  
Elda, Stora, & lacibus, cum alijs plurimis, tum Murcio, Plavensi, Sue-  
ciniensi, piscium multitudine stagnantibus, & mari navigabili insignis:  
agri fertilibus, & in aliquibus locis duodecuplum redditibus opima:  
rerum omnium, que ad vitam pertinent, abundans: Academia & scho-  
lis illustris: puritate verbi Dei, & bonis legibus, & forma Politiae lau-  
dabili, divinitus dotata & ornata. Quod ergo in pace his tantis donis  
& bonis frui nobis licuit: quod quisq; in summa tranquillitate sub sicu-  
& vite sua sedet: quod reliquis ornamentis & subsidijs vita cumulato  
fuimus: id omne Dei opt: max: erga nos amori, & beatissimi nostre  
Principis prudentia est acceptum ferendum. O vim prudentiae admi-  
randam! o divinam animi sapientis vim! qua curavit beatissimus Prin-  
ceps subditis suis veram de Deo doctrinam proponi: qua externam be-  
neficiam disciplinam defendit: qua de victu, deq; omnibus vita commo-  
dis, civibus suis prospexit: qua de hostili incursione inmunem rem-  
publ. fecit!

Sed

Sed hic cursum laudis prudentiae abrumpo, & ad justitiam nostram  
Principis ceterasq; virtutes me converto: quas dum strictim & brevi-  
ter attingo, ut, qua cepisti, eadem me benevolentia dicentem prosequa-  
mini, submissè & officiosè rego. & oro.

Ordine, atq; præmiorum pænarumq; legitima distributione Reip. salutem contineri, tam est notum, quam quod notissimum. In utroq; summis viribus summaq; contentione elaboravit beatissimus noster Princeps. Nam cum magna sit & late diffusa omnis potentia, sit, ut multorum oculis atq; manibus ea cum primis indigeat. Sed cautè atq; solerter Princeps in officiorum, quibus. Reipub. gubernatio continetur, distributione versabatur, ut accurate inter se munus & personam conserret, neq; temere quenquam majoribus negotijs præsiceret, nisi quem sciret mediocriter esse aptum: cum & non raro in cuiusq; officij administrationem sollicitè inquireret, & quæ quis in Magistratu gessisset, sedulò cognosceret. Cumq; non inanis gloriæ studio ad ostentationem, nec turpis lucri cupiditate, quasi ad auream messem & mercatorias nundinas, sed honesto proposito fine, & animo in patriæ caritatem confirmato, ad Rempub. accessisset: quemadmodum laudi sibi ducebat, legibus se alligatum Ducem profiteri: ita à civibus celebratos contractus firmiter ac bona fide servari; scelera, furtæ, libidines, adulteria, defraudationes, homicidia severè coerceri; disciplinam tum in tota Repub. tum in hac Academia sanctè custodiri voluit. Vidimus ipsi Principem, ei, in quo totius Reipub. negotia forensia aguntur, & statu anni partibus summa cum industria tractantur, & judicio, toro sui Magistratus tempore, ingravescente etiam ætate, nisi morbus ipsum gravior impedit, præesse: vidimus quam inculpatè alteram aurem reo integrans servaret: quam regiè querelas audiret: quantoperè sycophantas, calumniatores & adulatores auribus omnia dantes detestaretur: quam graver de effrenata hujus seculi audacia conquereretur, vidimus & audiimus ipsi. cumq; aliquando repertum esset cornu cervinum, quod, ad pa-rietem affixum, uberrimo, contra naturæ ordinem, sanguine stillasse dicebatur, & beatissimus Princeps Duci & Dominae, Dominae ANNÆ forori, hujusq; filio, optimo Principe VV I L H E L M O, Ducibus Curlandia, cæterisq; ad mensam accumbentibus, circumferente nobili IOACHIMO STRALendorffio, cubiculario Principis, viro spectato, prodigium hoc monstrasset, & contrectandum atq; inspiciendum dedisset: memini gemebun-  
dus

dum dicere beatissimum Principem : scatere terram innocentis sanguinis effusione , atq; hoc nomine Deo gravissimas pœnas debere . Quid? quod odio implacabili & secessu, jurisq; illas emtiones & venditiones , ad tempub. spoliandam, vexandam atq; corrumpendam excoxitatas, persequebatur ? veritatis cultor religiosissimus : pectorum servantissimus arrogantiæ, levitatis, nequitiae, novitatis oſor acerrimus . Antiquas consuetudines & jura à majoribus huic vel illi ordini acquisita regiè tuebatur : federa sanctissimè coluit : amicitiam, benevolentiam, studia sua, cum summa mansuetudine & injuriarum etiam atrocium condonatione conjuncta , exemplo ferè inaudito, vicinis probavit . In vectigalibus, tributis, oneribus & imponendis exigendis circumspectus : in doctos, probos, probatae fidei & pietatis homines: in egenos, in Ecclesiarum pastores beneficus : in extruendis & excitandis edificijs, ceterisq; que ad commoditatem huius ditionis pertinere videbantur, tuendis & amplificandis magnificus : in omni vita liberalis, non ut ALEXander aut Cæsar, qui quod alijs donabant, alijs eripere solebant : sed ea magnanimitate, que generosum, & in longum consulentem, & nemini injuriam inferentem, & cum lacruminis civium neq; se neq; alios locupletantem Principem in primis decet . Venationibus sic delectabatur, vel ut essent disciplinae bellicæ meditatio, vel ut recolligendis viribus servirent: cum nec prudenterissimæ cogitationes, quotidianis hominum controversijs agitate, diuisimè in negotijs consistere ac durare posint, nisi aliquo aliquando otij fructu recreatae jucunditati sese dederint . Solent alijs splendida fortuna plerumq; abuti, atq; beatitudinem suam flagitijs, licentia morum, stupris, adulterijs estimare. ex quo sit, ut ex perditis atq; ab omni non modò spe, sed etiam pietate derelictis conflamat manum improborum secum habent, neq; fas, neq; pium, neq; prudens, neq; rectum coalentium, sed libidinibus exultantium, & in voluptate bacchantium, cum in magno suorum numero neq; audiunt virum bonum quenquam, neq; vident. Longè alia beatissimi nostri Principis mens . Fides in Filium Dei, dilectio, spes, timor Iehovæ : in cognatum sanguinem pietas: in religionem zelus: in publicam utilitatem ardor: in disciplinam studium: castus animus, casta lingua, temperantia, fortitudo animi semper cum ipso esse, eiq; verius, quam Ioris Homerici lancibus Thetu atq; Aurora, affistere: putare se in theatro quodam totius orbis terrarum amplissimo atq; clarissimo collocatum ab omnibus conspici, ab omnibus notari, ab omnibus obser-

observari, in suam vitam inquiri: Itaq; indefessis & ardentibus pre-  
cibus se & sua omnia Deo quotidie committere; bene facere: equitati stu-  
dere: afflictos erigere: patrocinari pupillis: parcere subjectis: punire son-  
tes: nihil sibi concedere, quod quidem cum leges tum ne homines qui-  
dem concessissent: nihil à religionis & justitiae sanctissimo & purissimo bo-  
no sejunctum se habere existimare, sed eius salute, tum suam tum Reip:  
salutem contineri, atq; adeo in illam omnes suas cogitationes conferri  
atq; effundi oportere: deniq; id curare, ut cives beatissimam illam cœlesti-  
um vitam in hac mortali conditione imitarentur. Quid multis? quod  
Cardinalis & Episcopus Capuanus, qui legatus fuit ad tres potentissimos  
totius Europæ Reges, Carolum s. Hispaniæ, Henricum Angliæ, Franci-  
scum Galliæ; cum interrogaretur, quid in singulis regnis eximium vi-  
disset & singulare, respondit: in Anglia pulcrum Regem: in Gallia pul-  
crum regnum; in Hispania prudens consilium: hæc omnia de beatissimi  
nostræ Principis administratione verè & rectè commemorari possunt. Quid  
enim est quod Remp. tam exornat, quam si de ea dici posse, quod sit veri  
Dei, eiusq; quam filius Dei ex sinu patris de conservatione omnium mor-  
talium, in hunc mundum attulit, saluberrimæ doctrinæ domicilium; quod  
sit justitiae officina & dicasterion; quod sit honestatis omniamq; liberalium  
disciplinarum schola atq; palæstra? aut quid potest dari pulcrius eo Prin-  
cipe, cuius animus spiritus Sancti sedes est, & fidei virtutumq; heroicarum  
illustre tabernaculum? deniq; nulla sapientia major dici potest aut excogi-  
tari, quam que omnes imperij partes sic tueruntur, ut & Ecclesia & schola  
& judicia & pratoria & curia & senatus & quæsturæ & archiva pruden-  
ter sint instructa, ne aliquando à pietatis, justitiae & commodi publici  
signis, in hac rerum confusione, ad impietatis, tyrannidis & propriarum  
utilitatum mercaturæ castra aberrent, sed in ijs omnia tum gloriae Dei  
tum bono civium clarissimè serviant.

Non sunt hæc, Auditores, à me in ostentationem laudis bea-  
tissimi Principis cumulata: vos ipsi pleriq; hæc verissima esse memini-  
stis. Eminuerunt enim hæc omnia & longè plura in beatissimi nostri  
Principis gubernatione: & quidem non fortuito eminuerunt: sed eorum  
donorum & bonorum fundamenta in Principe præstantissima & celeberrima  
fuerunt: Bona educatio: exempla majorum: ingenium: familiaris-  
ritas cum viris magnis & doctis: studium: exercitatio: pietas. Nam  
benè fuisse educatum Principem, nemo sanus dubitat. credemusne autem  
tam ignavum fuisse Ducem VLDARICVM, ut Demosthenem, hominem

C de scho-

de schola, antelucana fabrorum operæ, ipsum autem Stiliconis, Alarici,  
Pribislai, Ioannis Theologi, Henrici pinguis, Magnorum, Albertorum,  
reliquorumq; honoribus & rerum gestarum gloria maxime circumfluentia-  
rum, majorum claritas & trophæa ad virtutem excitare atq; inflammare  
non potuerint? cum in eo tanta esset ingenij ad omnia magna nati divi-  
nitas: nec ipse desitueretur prudentibus & magnis viris, cum quibus  
tum in aula Bayarica adolescens: tum maturiore etate in comitijs  
Maximiliani primis; quibus quinq; Electores, novem Illustres personæ  
sacri ordinis, quatuordecim, connumerato nostro beatissimo Principe,  
Duces Germaniae, quos seculares vocant, interfuerunt, & in quibus  
de rebus maximis, de religione, de pace religionis & Germaniae dome-  
stica, de quibusdam Imperij proscriptis, de Turcici latronis Soleima-  
nis immanitate reprimenda actum fuit: tum toto gubernationis sue  
tempore conversari potuit, & ab his prudentiam discere, eisq; & con-  
siliarijs. & præceptoribus uti nihil enim unquam de suo unius consilio se-  
cet Princeps, antequam honorum consilia, quæ thesauris preciosiora se ha-  
bere ostendebat, audiret; semperq; apud se aluit viros claros & pru-  
dentes, ex quorum multitudine si duos illos, Iacobum Bordingum, illu-  
stris Reipub. Lubecensis hoc tempore consulem, & Ernestum Cotman-  
num, Iurisconsultos clarissimos, honoris causa hic nominem, reliqui præ-  
stantissimi viri mihi dabunt veniam. In primis autem beatissimus Prin-  
ceps fideli mutorum præceptorum, hoc est, librorum institutione est usus,  
quos sciebat nec adulari ipsos, nec adulari sibi pati bisq; & præser-  
tim sacro codice atq; historijs legendis veram prudentiam consecutus est:  
ad quem quoq; finem non tantum studium naturæ indigandæ, quo eum  
mirifice delectatum novimus, sed etiam in omni honestatis atq; virtutum  
studio perpetuum illum cursum suum conferebat. Quare cum & pius  
esseret, & religiosus & sacrorum cultor, & Dei amantissimus. Deus ipsum  
redimavit, dato ipso gubernatore & consiliorum suorum totiusq; gubernationis  
rectore spiritu sancto, qui eum pectus vera sapientia illustravit, ut  
& Drus, & se & suos recte nosset. Nec vero defuerunt pietatis hujus-  
tam eximia fructus alijs auctoritas conjugium suavissimum: iuravisse:  
longævitatem. Ornaverat enim Deus hunc nostrum Principem singulari au-  
toritate, qui in sui admirationem omnes orbis Christiani principes rapuit,  
quaq; excitati Reges, imperium, Duces, eum ad dirimenda gravissima ne-  
gotia adhibuerunt, ipse etiam Cæsar, orbis inferiori Saxonici imperato-  
rem esse voluit: in quo munere Cæsari eximiam fidem, circulo insignem

præ-

prudentiam, ubiq<sup>z</sup>, felicitatem suam admirandam ita probavit, ut hoc Da-  
ce & exarcho Resp. salva & florens, & si ad vicinas plerasq<sup>z</sup>, mundi par-  
tes aciem animi intenderis, beata extiterit. Quā autem felix utrumq<sup>z</sup>  
faerit beatissimi nostri Principis conjugium: quanta prudentia, quantis  
ingenij viribus, quant<sup>r</sup> naturæ felicitate, & fuerit Diva Elisabetha Cimbrica  
potentissima Reginæ Danicæ mater, quā ante annos 17. hæc resp. amisit, &  
adhus sit prædicta illustrissima heroina Anna Pomeranica: quā itē excellens  
pudicitia, temperantia, frugalitatis, omnium honestissimarum atq<sup>z</sup> lauda-  
bilium actionum, feminino sexui convenientium palæstra ac schola utriusq<sup>z</sup>  
gynæcum fuerit: quā deniq<sup>z</sup>, preciosa margarie, quamq<sup>z</sup> illustris co-  
rona utraq<sup>z</sup> tum Reip. tum beatissimo nostro Principi, & hæc, quam reli-  
quit viduam, quā eximius etiam senectutis ipsius baculus fuerit: res  
ipsa publica loquitur. Quid de stupendo illo pietatis fructu dicam? quod  
beatissimus noster Princeps serenissimam filiam suam S<sup>t</sup>ophiam, omnibus  
& animi & fortunæ dotibus divinitus cumularat Heroinam, illustre illud  
virtutum regiarum speculum, potentissimo Danorum Regi, heroi munificen-  
tissimo, FRiderico 2. cuius laus est in benedictione, nuptum dedit, atq<sup>z</sup> ex  
hac sapientiae filia nepotes tres, neptes quatuor quā maximè florentes vi-  
dit, CHRIstianum 4. Patri in regnum & gloriam felicitatemq<sup>z</sup> succeden-  
tem: VLDAricum in Sverini Episcopæ Administratorem ascitum, Cancel-  
larium hujus nostræ Academiæ hoc tempore magnificentissimum atq<sup>z</sup> cle-  
mentissimum: IOANnem, ab Imperatore Moscico in generum adoptatum:  
ANnam Iacobo sexto Scotorum, nunc etiam florentissimæ Anglie Regi:  
ELIsabetham Henrico Iulio Duci Brunsvigio & Luneburgio: AVGVstam,  
IOanni ADolpho, heredi Norvegia: HEDvigen, Christiano 2. Saxo-  
niae Septenviro, potentissimis, serenissimis & clarissimis totius ferè Chri-  
stiani orbis principibus, elocatas vidit, & ex pleriq<sup>z</sup> pronepotes sibi na-  
sos summa cum lætitia intellexit?

Hos fructus pietatis amans, hæc commoda cernit!

En hæc in terris dona beatus habet!

Satur ergo annorum & vitæ, hic Atlas orbis nostri, hic currus & auriga  
Reipublicæ, hic pater patriæ, hic Musarum patronus, hæc iustitiae tutela, hic  
omnium virtutum condus promus, princeps clarissimus, imperator felicissi-  
mus, Dux mansuetissimus, in vera agnitione & celebratione Filij Dei, &  
publica celestis doctrinæ confessione, cum vixisset fermè 76, præfuisset  
Episcopatu 53, Reipublicæ 50 annos, inter desideratissimos filia, conju-  
gis & fratris amplexus & lacrimas pie & placide expiravit. O te bea-

rum Vldaricum? qui ita quidem vixisti, ut, quamdiu gentes erunt, tam  
diu homines futuri sint, qui tui memoriam summa cum gloria tua retine-  
ant: quicq; te dicant à perenni contestataq; virtute majorum per illustri ce-  
lebriq; familia parentibus maximis atq; clarissimis genitum, pietate, reli-  
gione, justitiae cultu, literarum amore, auctoritate supra omnes nostri ævi  
homines facilè excelluisse: ita autem mortuus es, ut jam in conspectu Deë  
letus, & ingenti cum desiderio, glorioſiſimum illum restitutionis omnium  
rerum diem, quo, redeuntibus in vitam omnium terrarum seculorumq; o-  
mnium hominibus, domicilium suum animis recepturus es, incenarrabilis  
bus votis expectes. Quanto ergo in gaudio nunc exultas ô VlDarice Prin-  
ceps! quanta letitia circumfluis! t. anta profecto, quā nec auris audivit, nec  
oculus vidit, nec in ullius hominis mentem & cogitationem descendit.  
At quanta rerum & bonorum jactura te abrepto facta es! Tu enim, ô Ger-  
mania, communis patria nostra, tu columnæ amissisti non marmoream illæ  
quidem, sed Principem, in cuius consilio & auctoritate tanquam fulcro quo-  
dam tutissimò requiescere poteras! Tu Megapolis patrem patriæ! Tu Chri-  
ſiana resp. civem, quire majori complexus es amore, ac filius unicus ma-  
trem, quiq; de te magis, quam de sua salute erat sollicitus! Tu Saxonia or-  
bis inferior imperatorem & ducem prudentissimum! Tu autem, Academia  
nostra, patronum clementissimum amissisti! Quid heroicas illas animas me-  
morem, serenissimam Reginæ Sopham, quæ patrem? illustriſimam  
Principem Annam, quæ maritum & Dominum? celſiſimum Ducem C Aro-  
lum, qui fratrem ex multis unicum illuſtriſimos juniores principes E RIDe-  
ricum ADolphum & Ioannem Albertum, qui patrum magnum & paren-  
tem alterum? quid Daniam, Angliam, Scotiam, Saxoniæ electoralem, quid  
Guelphicam, quid Holſatiā, quæ avum & proavum? quid Brandenburgum,  
quid Hafiam, quid Pomeraniā, Saxoniam inferiorem Curlandiam, quæ  
affinem, sobrinū, agnatum, avunculum hoc uno praſtantissimo Principe ab-  
repto amiserunt! Accurrite! accurrite! & cognoscite, nū sit jactura hac ipsa  
major, vel, num dolor sit aliquis gravior hoc ipso quem ex morte tanti Prin-  
cipis, columnæ illius imperij, defensoris Ecclesiæ, verae pietatis & conſtan-  
tie miraculi; cum universus, tūm hic Megapolitanus orbis concipit tantum:  
ut non ſolum agri lugeant, ſed ſereniſimi cum primis atq; celſiſimi geni-  
tiles, Filia, conjanx, Frater, Nepotes, Neptes, proneptes, proneptes, affines,  
incredibilem ſuum, quem iſpis fatum Patris, Mariti, Fratrib; avi, proavi,  
patrui magni, avunculi, affini inflxit, luctum, planctu, lacrūmis, gemiti-  
bus, iſum etiam numerum propemodum superantibus, conſtentur. O fa-  
tū

et tempora! Sed quid planctui indulgemus? quid gemitibus omnia com-  
plemus? quid dolori frenos indecorè laxamus? Recipiamus potius animam,  
& oculos ab hoc tristi & acerbo Reip. vulnere, cuius cogitatione unum  
animis necesse est luctum & mærorem concitari, ad contemplationem ave-  
ramus tum heroicorum & præstantissimorum animorum, tot Reginarū, Re-  
gum, Ducum, Principum, ex hoc uno Principe Vdalrico procreatorum, in  
quibus beatiss. Principis virtus & nomen vivit: viverq; seculis innumerabi-  
libus: tūm reliquorum beneficiorum, quæ à Deo per hunc ejus vicarium in  
universam hanc Remp publicam, multitudine infinita, magnitudine eximia  
collocata tenemus, horumq; memores, pia recordatione, talem Principem, à  
nobis ad eas oras, quas, qui inhabitant felices sunt; profectū prosequamur  
ac Deum supplicibus votis rogemus, ut tot heroicas animas morte beatissi-  
mi nostri Principis graviter percussas, & in primis serenissimam Dominans  
Sophiam, pietate, prudentia, & meritis in hanc Remp insignem heroinam,  
bonitate atq; clementia eximiam Reginam; Potentissimum Regem Chri-  
stianum 2, omnes munera regij partes divinitus expletent: Illusterrimam  
Annam, ex celissimorum Pomeranie Ducum familia præstantissima o-  
riundam: Celsissimum Principem ac Dominum Carolum, egregia voluntate  
& excellenti virtute Duce; Illusterrimum & regium Principem, Vldar-  
icum, heredem Norvegiae, Principem magnanimum, Academiæ hujus Can-  
cellarium magnificentissimum, ad omnia magna natum: Illusterrimos ju-  
niiores Principes, Fridericum Adolphum & Ioannem Albertum, Principes ju-  
ventutis, in quos serenissimæ domus Megapolitanæ spes inclinata propemo-  
dum recumbit, Dominos clementissimos, ipse spiritu suo consolationis regat  
& illuminet, ipsosq; in causa religionis, iustitiae, discipline, literarum ac to-  
tius Reip. provehenda, ad nominis sui gloriam, clementer & misericor-  
diter in multos annos incolumes & florentes conservet.

---

In ejusdem Principis obitum Lessus.

C Vm furtim claro sceleratum maximus enim  
Scipiades jugulo acciperet; morsque illa per Urbem  
Sparsa Metellorum funesta veniret ad aures;  
Tanta cæde viri, Macedonicus, obstupefactus,  
Evolat in medias fœdatus pectora turbas,  
Et casus Romæ secum indignatus acerbos,  
O cives, cives, concurrite! meenia nostræ  
Sunt eversa urbis, concurrite! clamat, & altis  
Omne forum Romanum & quæstibus æra compleat.

Eheu ! quid querar : heu ! cives concurrite ! cives  
O cives concurrite ! concidit, occidit, eheu !  
Ille Pater patriæ, sacrum illud Religionis  
Præsidium : Decoris tutela; & regula recti :  
Iustitie gladius : Germani clara corona  
Orbis : consilij prudens thesaurus : avorum  
Splendor : Pegasi dūm scutum : Pietatis asylum :  
Augustus Pacis cultor ; scelerumque severa  
Vltio : clementis speculum ingenij atque pudoris,  
Occidit ! heu concurrite ! Dux HVLDRCVS.  
Quid genus & proavi, quid sancti cultus & ardor,  
Quid labor & benefacta juvant ; spallida saevia  
Pollice mors metit omnia ? Tu, Dux Maxime, reges  
Majores ; quos oræ Asiae, quos Itala tellus,  
Et, quæ longinquis extendit, Iberia, fines,  
Extimuit ; numeras centena à stirpe Alaricum,  
Anthyrium atque alios, Pribslauum denique, fortis  
Quem Leo divino tingi baptisimate fecit,  
Unde uno es decimusque & tertius ordine Princeps.  
Quid memorem Matris generis & stemmata ? Ianum  
Quis nescit ? qui vel tria maxima regna sub oris ;  
Arctous tardo quas spectat ab axe Bootes ;  
Danorum, & Suecorum , & quas Norvegia terras  
Indiget, tenuit felici numine : Rutæ  
Custodem Ernestum ; quem septem dia virorum  
Gloria perlatum curru vehit alite mundum ;  
Quis nescit ? cui non est Marchica cognita tellus ,  
Et IOACHIMI Electoris non cognita virtus ?  
Quo dicente Albis trepidabat : quoque tonante  
Liburnus Princeps, Latius, nostrisque stupebat ;  
Quis Quintum Albertum nescit ? majoribus istis  
HVLDRCVS gaudet : nec tutum ea copia tantum  
Heroa hunc potuit præstare à limine mortis !  
O cives, cives, concurrite ! concidit, eheu !  
Ille pater patriæ : concurrite ! Dux HVLDRCVS.  
Quid memorem ? quæ jura thori, quæ fœdera Princeps  
HVLDRCVS cum divâ opibusque ac lumine magni  
Ingenij præstanti junxerit Elisabetha;

Cimbrorum Elisabetha natà sanguine Regum?  
Quamque illud fuerit felix, sanctum atque secundum  
Conjugium? Sophiam quod protulit, armipotenti  
Olim FRID RICO sociatam; Dania fortis  
Cui regi quondam Mavortia paruit; at nunc  
Degentem viduam socio sine compare vitam;  
Quæ, ceu luxurians folijs, fetuque gravescens  
Vitis, in innumeras cepit se effundere stirpes,  
Aspectante patre HVLD RICO: quem Dania dives,  
Quem felix Scotus, quem Saxo Elector, & ingens  
Cum magno Holsato Guelphus jam tum; o pia fata!  
Nomine duleis avi vivum proavique vocabant.  
Nec tutum tot regali de gente nepotes.  
Præstare Heroa hunc potuere à limine mortis!  
O cives, cives concurrite! concidit, eheu!  
Ille Pater patriæ! concurrite! Dux HVLD RICUS!  
Pro patria quantos hausisti HVLD RICE labores?  
Dum sanctas Themidos leges & jura tueris:  
Dum justos sancte defendis: grandia adensem  
Crimina dum damnas: augusta munia pacis  
Dum toti servas orbi, quem cura RODOLPHI  
Cæsaris imperio tibi subdidit: ardua magno  
Dum tractas æquasque labore negotia: terris  
VVesthalicis hostem dum avertis, & optima nobis  
Ut pax sit, nulli vele uræ parcis & auro?  
Nec tutum Themidos leges, nec jura nec orbis  
Heroa hunc potuit præstare à limine mortis!  
Quantis nos omnes cumulasti, HVLD RICE loquetur  
Hoc rosea urbs, dubio quæ sub discrimine magnum  
Clementemque animum sensit; foræ, curia, & aulæ,  
Atque etjam, pressit quotquot discordia, Reges;  
Hoc Varnus, rosei subsellia docta Lycei.  
Hoc dicent: roseus dum cerner pulpita Varnus,  
Dumque erit, Aonij: qui fontibus irriget ora,  
Laus nomenque tuum, Princeps HVLD RICE, manebunt!  
Nec benefacta, nec Aonides, nec gratia tutum  
Præstare Heroa hunc potuere à limine mortis!  
At quanta, ô Princeps, sunt ista, HVLD RICE columnæ

Doctrinæ veræ Christi, quod regula legum  
Sanctorum fueris? fremat orbis & orcus & ipsa  
Sus Romana: tuas ò dive HVLD RICE, nec orbis  
Nec cœlum capiet laudes! Babylonica fraudes  
Quas rabies toto disperserat orbe, parentis  
Quas virtus patrique odit, pietate fugasti,  
Dive, tua, & penitus Papatum hoc orbe tulisti.  
Tristia quām passim nunc sunt hæc tempora? latè  
Calvus ubi regnat, vel Turcus dira minatur,  
Callida vel, mundi meretrix Babylonica, Reges  
Quæ sibi subjecit, quò vis pertingere non quit,  
Assuit, heu, fraudes, & mille venena propinat,  
Non metuenda unquam nobis te Principe vivo.  
Nec tamen hæc pietas, hæc cura, hic Principis ardor,  
Heroa hunc potuit præstare à morte securum!  
Ergo illum deflent tot reges, totque nepotes:  
Dania cum Guelpho, cum Holsato Scotia & omnis  
Saxonia: & tristes lacrumarum flumina mittunt.  
Luget & ipsa Aquila: luget Germania: luget  
Anglia: magnanimo cum primis nata Philippo,  
Feminei decus, ANN A, chori princepsque, mariti  
Fata, inter luctus ingentes, deflet acerbè,  
Atque mori protam caro capite ipsa præoptat.  
Addit se sociam, & suffundens lumina fletu  
Mœsta, suam sortem miseratur, Patria, acerbani.  
Nec tamen hæc pietas, non fletus, non lacrumæ ullæ,  
Præstare heroa hunc potuere à morte securum!  
O cives, cives, concurrite! concidit heu!  
Ille Pater patriæ! concurrite! Dux HVLD RICVS!  
At tu, quo solo res nostræ stantque caduntque  
Maxime Rex, Regum Rector, succurrito nostris  
Rebus, prostratos releva: luctuque solutos  
Collige: tu fasces, quos CAROLVS accipit, ipse  
Rex Rege: & hunc, Herulo qui CAROLVS imperat orbi,  
Atque Duces juvenes geminos, Megapolis in quos  
Ac Herulum propè jam domus inclinata recumbit,  
In longam duc felices Deus alme senectam!





Des Durchleuchtiger  
bornen Fürsten vnd

V L R I C

Hertzoger  
Fürste



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn823377490/phys\\_0032](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823377490/phys_0032)

DFG

